



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCCLXXXVII. Die Prälaten und Dänischen Räthe in Estland beurkunden,
daß es die äußerste Noth gewesen, in welcher sie zu dem Beistande des
Ordensmeisters in Liefland ihre Zuflucht genommen haben, am ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCCLXXXVIII. Die Prälaten und Dänischen Rätthe in Estland bezeugen, daß es die äußerste Noth gewesen, in welcher sie zu dem Beistande des Ordensmeisters in Liefland ihre Zuflucht genommen haben, am 27. October 1343.

Vniuersis Cristi fidelibus presentia visuris vel audituris Olauus, miseratione diuina ecclesie Reualiensis episcopus, Gotfridus decanus totumque capitulum ibidem, frater Gobelinus, abbas monasterii Ruine in Gothlandia ordinis Cisterciensis, frater Nicolaus abbas in Pades eiusdem ordinis, frater Wilbrandus gerens vices prioris conventus in Revalia; Johannes Forseuere, Hermannus de Toys, Otto de Rosen, Henricus et Johannes de Parenbeke, Henricus de Wirckes, Henricus de Lode, Tidericus Tolk, milites; Johannes de Merkes, Johannes Wake, Robertus de Alwen, Cristianus de Scheenbeke, Afferus de Noua curia, Tilo de Forseuere, Hinricus de Bickshouede, armigeri, consilii Domini Regis Dacie in Estonia commorantes, nec non vniuersitas vasallorum suorum ibidem Proconsulibus et consulibus ciuitatis Reualie seruitium debitum et paratum. Ne ea, que bono animo et quandoque necessitate ineuitabili, que legem non habet fiunt, per iniquam detrahentium maliciam calumpniari possint falsi admixtione, expedit vt per scripture et veridicorum testimonia memorie commendentur. Recognoscimus igitur per presentes et publice protestamur, Quod post inuasionem Estonum infidelium, depredationem et interfectionem dominorum suorum, spoliacionem et desolationem bonorum eorundem nec non et maleficia eorum quam plurima, nos, qui eramus adhuc superstites, eosdem rebelles ad dominorum suorum subjectionem et ad ecclesie vnitatem cogere et reuocare non valentes, ob meram necessitatem nos vrgentem, honorabiles et religiosos viros magistrum et fratres hospitalis sancte Marie ordinis domus Theutonicorum Jerosolimitane in Lyuonia, sine quorum presidio hec nouella orientalis ecclesie plantatio defendari non possit, omni instantia rogauimus, vt diuine remunerationis intuitu nobis ad compescendum et reuocandum dictos perfidos ab infidelitatis errore dignarentur, subsidium repartiri; Protestantes presentibus, quod quecumque per dictos magistrum et fratres vna nobiscum contigerint et contingant, ad nostras instantias euenire, quia timemus verisimiliter, quod nisi celeriter eorum tyrannidi occurratur, ipsorum infidelium numerus nimium augmentetur, maxime quia alii hujus prouincie Neophiti eorum exemplo prouocati iam incipiunt vacillare. Si quis autem vniuersitatis vestre auribus aut animis cuiuscunque contrarium instillauerit, in conscientiis nostris audemus dicere, quod causa odii et inuidie contra omnimodam hoc faciunt veritatem, vt filii dyaboli zizaniam seminantes. Nam astamus eis et astare volumus coram quocunque, quod ad supplicationes nostras multiplices et necessarias dicti magister et fratres in defendendo nos, terram et castra, et ad faciendum premissa sibi assumpserunt sollicitudines, curas et labores. In quorum omnium testimonium euidentia sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum et actum Reualie, anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo tercio, in vigilia Symonis et Jude apostolorum.